



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De sancto Ambrosio, quonam pacto ad episcopatū euectus sit, & quód
populo pietatis suasor extiterit, & de Nouatianis in Phrigia, & de Paschate.
Cap. XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

nione segregandos, & nomine episcoporum priuandos, ut
 talidem populo ipsorum errore liberato detur respirandi
 locus. Nam multitudinis error tamdiu nullo modo corri-
 gi poterit, quamdiu episcopi eodem tenentur implicati.
 Quocirca facite, ut vestra reuerentiæ iudicium cum om-
 nium Dei sacerdotum iudicio, cui vos firmè & constanter
 adherere credimus, omnino consentiat. Quod eandem
 vobiscum rectam credendi viam nos quoque debeamus in-
 sistere. Vestra charitas, quæso, ad nos rescribat. Valete fra-
 tres honoratissimi.

*De sancto Ambrosio, quoniam pacto ad episcopatū
 euectus sit, & quòd populo pietatis suasor
 extiterit, & de Nouatianis in
 Phrigia, & de Paschate.
 CAP. XXIII.*

Episcopi igitur occidentis sic remedio contra eos, qui
 apud se nouis rebus studebant, maturè inuento, fidem
 ipsis ab initio temporibus apostolorum traditam stu-
 diose conseruabant: adeo ut perpauci alienam à catholica
 ecclesiæ doctrinā, solo ferè Auxentio excepto, sectarentur.
 Atque non longo tēpore post iste Auxentius è medio sub-
 latus est. Quo mortuo, populus ad seditionem cōcitatur,
 propterea quòd non vnū omnes ad episcopatum Medio-
 lanensis ecclesiæ capessendū deligebant. Vnde nō parū ci-
 uitati creatur periculi. Nā singuli, cū eū, quē cupiebāt, ad
 episcopatū efferri nō possent, minas iactare, uti in eiusmodi
 tumultibus vsuere solet, cœperunt. Itaq; Ambrosius
 tū gētis illius præfectus, veritus populū motū, profectus ad
 ecclesiā cōsiliū dedit, ut à contentione desisterēt: redegit
 quoq; eos in memoriā legū, cōcordiæ, & bonorū, quæ pax
 secū afferre solet. Ac nondum de his rebus finem dicendi
 fecerat, cum ex improviso omnes, ad eum, utpote suasorem
 concordiæ, communibus suffragijs episcopatum deferunt,
 iubentq; lauacro baptismatis tingi (adhuc enim haud fue-
 rat nostræ religionis initiatus mysterijs) atq; ut sacerdotiū
 illud capessat, obtestantur. Vbi verò ille hunc dignitatis
 gradum repudiare, diem de die ducere, & re ipsa eum
 refugere conaretur, populusque instare pergeret, & non

alia conditione quicquam de contentione sua remis-
 surum affirmaret, nūtiata sunt ista principibus in palatio
 viris. Quæ simul ac ad aures Valentiniani imperatoris per-
 lata fuere, dicitur orasse Deū, & ei gratias egisse, quod quæ
 ipse ad præfecturam gerendam extulisset, ille ad fungendū sa-
 cerdotio delegerat. Atq; de ardenti populi ad Ambrosiū de-
 signandū studio, & de illius recusatione certior factus, cō-
 iectura ducebatur ad suspicandū, deū ista ad cōcordiā in ec-
 clesia Mediolanensi conciliandā providentia sua admini-
 strasse: & propterea q̄ celerrimè eū episcopū creati manda-
 bat. Qui simul vt initiatus est mysterio salutaris Baptisma-
 tis, & sacerdotiū sumpsit, ecclesiam sibi cōmissam, quæ diu
 propter administrationē Auxentij dissidio laborauerat, ad
 cōsentientē de deo ac religione doctrinā deduxit. Verūm
 qualē se Ambrosius iste, post q̄ erat creatus episcopus præ-
 stiterit, & quā animo excelsō, quāq; piē sacerdotio per-
 functus sit, post idoneo loco dicetur. Sub idem tempus
 Nouatiani in Phrygia, cōtra quā ante cōsueuerāt, cœpe-
 runt diē festum Paschatis eodē die, quo Iudæi celebrare.
 Nam tametsi Nouatus illius sectæ author eos, quos pecca-
 torum admissorum pœnitebat, in communionem hau-
 quaquam recepit, & istud solū dogma in ecclesiam intro-
 duxit, tamē nō aliter atq; ecclesia Romana post equinoctiū
 vernalē istū diē festum tum ipse, tū eius successores vsq;
 eo celebrarunt, quoad quidā in Phrygia Nouatiani epi-
 scopi, imperatore regnante, cuius tēpora iā persequimur,
 in vicum Gazū (qui est locus Phrygię, vnde fontes fluij
 Sangarij erumpūt) profecti, quoniā ob hanc rē etiam cum
 illis, qui doctrina ab ipsis dissetirēt, cōmunicare renuebāt,
 legem tulerunt, vt diē festū Azymorum & Paschatis eodē
 tempore, quo Iudæi, agerent. Cuius concilij neque Ageli-
 us, Nouatianorum Cōstantinopoli episcopus, neq; epis-
 copus Nicæ, aut Nicomediæ, aut Cotylj (quæ est vrbs
 Phrygiæ non obscura) particeps fuit: quos inter suæ sectæ
 fautores, administratoresq; ecclesiarum, facile principes,
 & velut columina Nouatiani dicunt. Qua etiam de causa
 quo modo ipsi inter se discentire, & in varias factiones di-
 uisi, separatim conuentus agere cœperunt, opportuno
 tempore dicam.

De